



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

§. 27. Quomodo cum Reis obstinati agendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

Si circa fidem , spem , charitatem , contritionem , pacem , liberos , uxorem , bona temporalia adhortatione , aut dispositione opus fuerit , Sacerdos juxta ea , quæ cap. superiori dicta sunt , procedet .

§. 27.

Quomodo cum Reis obstinatis agendum.

QUod si fortassis obstinatus sit Reus & ad Pœnitentiam permoveri nolit : hortator 1. adhibeat , que suprà de nolentibus confiteri , desperatis , aut alio yitio laborantibus , traduntur . 2. etiam genibus flexis rogando , animum ejus flectere conetur . 3. si nihil juvat : irato vultu ac verbis gravioribus agat . 4. industria judicis vel alterius cuiuscunque utatur , quos , quid se absente agere debeant , instruat . 5. calcaria à metu pœnarum infernalium adder . Hic Reus digitum in candelam ardentes inferre deberet , ac per experientiam dicere , quæ inferni minima pena esse possit . 6. per passionem ac tormenta Christi & Sanctorum Reus confundatur , quod eorum particeps fieri tantopere detrectet . 7. Pertinacia Rei Deo commendetur per orationes & Missas . 8. non desistat à cohortationibus Sacerdos , sed ad finem usque constanter perseveret , conando Reum vel in extremo vitæ articulo ad pœnitentiam perducere .

Si Reus odium in judicem , partem adversam , testes , aut quemvis alium habere deprehendatur , qui consolatur , laboret , id ei penitus evelle monendo , si forte tormentorum acerbitate , aut quomodolibet alterius famæ vel suæ detraxisset , seu falso quemquam accusasset , revocet coram judge , testibus , sive quocunque potest modo . Et si modus nullus appareat , sacerdoti coram aliquibus committat , ut loco & tempore commodis , nomine Rei id facere velit .

§. 28.

Observanda cum Reus ad supplicium ducitur.

CUM Reus è carcere ad supplicium educitur , cayeat Sacerdos , ne verbulum , vel quidquam dicat , innuat , aut faciat , per quod Reo mors quovis modo directe vel indirecte maturari & accelerari valeat ; Imo si ab aliquo moneatur , vel interrogetur , immotus faciat quæ sui officii sunt in Reo consolando : alios alia agere sinat .

Præterea in educendo Reo observetur , 1. Ne nimium bibat , & per hoc inebrietur . 2. Ne oculis & animo evagetur : sed vel oret , vel pie aliiquid audiat de gloria coelesti , de Passione Domini , de constantia martyrum , de salute animæ suæ , vultu in Crucifixum fixo . 3. Cum nullo externo , multo minus cum

uxore , filiis , consanguineis loqui permittratur . 4. Sæpe interrogetur an adhuc aliquid conscientiam ejus gravet . 5. Ut majori cum alacritate mortem Reus perferat , sacerdos ei promittat orationes , Missas , &c . 6. Crux parva , seu crucifixus Reo sæpe exosculandus præbeatur . 7. Si Reus genus mortis exhorrescere putatur , hortator , turpitudinem crucis , quæ in veteri Testamento fuit , exaggeret , Christum tamen in ea pependisse innocentem : Quare si anima ad cœlum evolet , parum curari de corpore debere , quod in cinerem redigitur , tam in sepulchro quam extra . Infamiam quoque hominum apud Deum sæpe honorem esse , quemadmodum & prudentia humana apud Deum stultitia est . 8. Usque ad extrellum spiritum Reo semper pie aliiquid fuggeratur & inclamat . 9. Si coronam quis habeat cum indulgentiis , Reo detur , donec expiravit . 10. Post obitum moneantur astantes , ut pro anima defuncti genibus flexis devote aliiquid orare velint .

§. 29.

Quid Reo defuncto agat Sacerdos.

DEmum si Reus jam defunctus consanguineos habeat , Sacerdos eos accedere , & pariter consolari possit , referendo quam bene , ac sicut Christianum decet defunctus sit ; & quod non tam inter turpiter mulctatos , quam inter Cives cœlestis curiae numerari jam queat . Hæc ad consolationem morientium his duobus capitibus breviter sufficiant : quilibet pro suo ingenio , plura addere , hæc eadem ampliare & ex ipso fonte haurire poterit .

§. 30.

De officio Pastorum & Curatorum tempore Pestis.

BEATUS CAROLUS CARDIN. BORROMÆUS ARCHI-BEPISCOPUS MEDIOLANENS. VERUM SPECULUM PASTORUM TOT TANTAQUE POSTERIS DOCUMENTA , CUM ANNO CHRISTI 1576 , NOVEM MENSUM SPACIO MEDOLANI PESTILENTIA CRUDELISSIME GRASSARETUR , PECCULARI QUODAM LIBELLO RELIQUIT , UT ALIQUA EORUM AD COMMUNEM CURATORUM USUM COMPENDIOSÆ PROPONERE OMNINO DEBEAMUS .

Ac principio quidem peroptandum foret , ut omnes PAROCHI & CURATI tempore pestis tali spiritu , fervore , amore , resignata voluntate , sollicitudine , promptitudine & alacritate ad laborandum , succurrendum , juvandum , atque ad ipsam etiam mortem subeundam prædicti essent , quali præfatum B. CARDINALEM , eadem fœva contagione durante fuisse , in ejus vita , & rebus gestis CAROLUS à BASILICA-PETRI EXEMPLIS QUAMPLURIMIS testatur . Qui quidem toto libro